

ad se, ad Albanum. Quod nisi sciret Milo, illum Ariciae fuisse, suspicari tamen debuit, eum, etiamsi Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quae viam tangeret, diversurum. Cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret: nec eo in loco subsedit, quo ille noctu venturus esset? Video adhuc constare omnia, iudices: Miloni etiam utile fuisse, Clodium vivere: illi ad ea, quae concupierat, optatissimum interitum Milonis: odium fuisse illius in hunc acerbissimum, in illum hujus nullum; consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda; hujus tantum in repellenda: mortem ab illo denuntiata Miloni, et praedictam palam, nihil unquam auditum ex Milone: profectionis hujus diem illi notum, reditum illius huic ignotum fuisse: hujus iter necessarium, illius etiam potius alienum: hunc prae se tulisse, se illo die Roma exiturum, illum eo die se dissimulasse rediturum: hunc nullius rei mutasse consilium, illum causam mutandi consilii finxisse: huic, si insidiaretur, noctem prope urbem expectandam, illi, etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum.

XX. Videamus nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id vero, iudices, etiam dubitandum, et diutius cogitandum est? Ante fundum Clodii: quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur valentium. Eedito adversarii atque excelso loco superiorem se fore putabat Milo, et ob eam rem eum locum ad pugnam potissimum elegerat? An in eo loco est potius expectatus ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat? Res loquitur, iudices, ipsa: quae semper valet plurimum. Si haec non gesta audiretis, sed picta videretis: tamen appareret, uter esset insidiator, uter nihil cogitaret mali, cum alter veheretur in rheda paenulatus, una sederet uxor. Quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? Quid minus promptum ad pugnam, cum paenula